



## István prenestei püspök-bíboros *procurator*ként eljár az Ágoston-rendi remeték és a vilhelmiták közötti perben (1266. július 31.)

IV. Kelemen pápa – átírva István prenestei püspök-bíboros ítéletlevelét (1266. július 31.) – engedélyezi a vilhelmitáknak hogy különváljanak az Ágoston-rendi remetéktől, 1266. augusztus 30.

[Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis] generali et aliis prioribus et fratribus heremitarum ordinis sancti Guilelmi [salutem et apostolicam benedictionem]. Ea, que iudicio vel concordia <sup>a</sup>terminantur, firma debent et illibata persistere, et ne in <sup>b</sup>residuum confusionis scrupulum relabantur, apostolico convenit presidio<sup>a</sup> communiri. Exhibita siquidem nobis <sup>c</sup>iuxta petitio continebat, quod dudum a felicis recordationis Alexandro papa, predecessore nostro mandatum, ut dicitur, emanavit, ut de singulis domibus heremitarum, quarum quedam sancti Guilelmi, quedam sancti Augustini ordinum, nonnulli autem fratris sancti Iohannis Boni, alique vero de Fabali, alie vero de Bictinis censebantur, et apud homines ambiguus interdum nuncupationibus vacillabant, duo fratres cum pleno mandato ad ipsius predecessoris mitterentur presentiam, quod eius circa ipsas salubriter ordinaret dispositio, recepturi. Cumque fratres <sup>d</sup>huiusmodi ad sedem apostolicam accessissent, dilectus filius noster R[icardus] sancti Angeli diaconus cardinalis<sup>1</sup> auctoritate mandati predecessoris, eiusdem vivo, ad eum sermone directi, universas domos et congregationes eorumdem ordinum in unam ordinis heremitarum sancti Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo counivit. Idemque predecessor ipsius cardinalis processum approbans, illum auctoritate apostolica confirmavit,<sup>2</sup> et postmodum vestre volens providere quieti, vobis auctoritate apostolica concessit, ut sub regula <sup>e</sup>beati Benedicti secundum institutionem beati Guilelmi possetis in habitu solito licite permanere,<sup>3</sup> non obstantibus aliquibus litteris, gratiis, seu privilegiis ab eadem sede in contrarium impetratis, seu etiam impetrandis. Sane inter vos ex parte una et ... generalem et alios priores ac fratres heremitarum eiusdem ordinis sancti Augustini [ex altera] super eo, quod ipsi domum de porta sancte Marie de <sup>f</sup>Wissenbornhe, de Corona sancte Marie et quasdam alias domos ipsius ordinis sancti Guilelmi cum fratribus domorum ipsarum Alemannie et Hungarie regnorum occasione huiusmodi unionis, cui vos non consenseratis, in predicto sancti Augustini ordine receperant, ac domos ipsas cum fratribus suis incorporaverant eidem ordini sancti Augustini, in vestrum preiudicium et gravamen ex altera materia questionis exorta, nos dilectum filium nostrum J[acobum] sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem,<sup>4</sup> dedimus in causa huiusmodi partibus auditorem, coram quo lite legitime contestata, factisque positionibus et responsionibus ad <sup>g</sup>easdem, tandem partes ipsae viam pacis et concordie amplectentes, videlicet frater Ioannes de <sup>h</sup>Linsen, procurator vester pro vobis, a quibus habebat ad hoc speciale mandatum, ac idem prior generalis heremitarum dicti ordinis sancti Augustini pro se ac aliis prioribus et fratribus, de quibus erat contentio, quorum procurator erat, ante venerabilem fratrem nostrum Prenestinum episcopum, cui cura praedicti ordinis sancti Guilelmi et personarum ipsius est ab eadem sede commissa, in presentia nostra de voluntate et consensu ipsius R[icardi] cardinalis, cui curam predicti ordinis heremitarum sancti Augustini eadem sedes commisit, tanquam in arbitrum, arbitratorem et amicabilem compositionem super causa huiusmodi et omnibus eam contingentibus, alte et basse sub poena mille marcarum argenti compromittere, ac ipsius ordinationi, laudo, definitioni, arbitrio et arbitratui totaliter se committere curaverunt, promittentes super hoc praestito iuramento, se ratum et firmum habituros, quidquid idem episcopus super hoc ordinaret, arbitraret, diceret et ordinaret. Dictus autem episcopus a partibus accepto huiusmodi compromisso et a nobis obtento vive vocis oraculo consensu et licentia super premissis ordinandi, statuendi, definiendi, decernendi et providendi, prout sibi expeditius videretur, super hoc fecit quamdam ordinationem providam inter partes, prout in instrumento publico, inde confecto, ipsius episcopi sigillo munito plenius continetur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati ordinationem ipsam ratam et firmam habentes, ac defectum, qui erat in procuracione ipsius prioris generalis predicti ordinis sancti Augustini, ex eo, quod ad compromittendum non habebat // <sup>fol. 95v</sup> mandatum, et si quid aliud in procuratoriis partium ipsarum <sup>i</sup>extiterat, supplentes de apostolice plenitudine potestatis eam auctoritate apostolica confirmamus <sup>k</sup>[et praesentis scripti patrocinio communimus]<sup>k</sup>. Tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est:

[Bánca István prenestei püspök-bíboros ítéletlevele, Viterbo, 1266. július 8.]

<sup>1</sup> Riccardus de Annibaldis, a Szt. Angelus diakónus-bíborosa (1239–1276). Kiss 2015, III. Táblázat, 29.

<sup>2</sup> 1256. augusztus 28. RAIV. 1451. sz.

<sup>3</sup> 1256. augusztus 22. RAIV. 1452. sz.

<sup>4</sup> Jacobus Savellus, 1261. december 17./24. – 1285. április 2., ekkortól IV. Honorius néven pápa (1285–1287). Kiss 2015, III. Táblázat, 36.



In nomine Domini Amen. Presidente rationis imperio in animo iudicantis sedet in examine veritatis pro tribunali iustitia, et quasi rex in solio iudicii rectitudo, cuius dissipatur intuitu proprie voluntatis arbitrium, et acceptio personarum. Ex quo fit, ut parvi et magni, pauperes et divites, potentes et debiles, absentes et presentes, equo libramine iudicentur. Sane, prout ... prior generalis, alique priores et fratres heremites sancti Augustini dicebant, dudum a felicis recordationis domino Alexandro papa III<sup>o</sup> emanavit mandatum, ut de singulis domibus heremitarum, quarum quedam sancti Guilelmi, quedam sancti Augustini ordinum, nonnullae autem fratris Johannis Boni, alique vero de Fabali, alie vero de <sup>l</sup>Brictrinis censebantur, <sup>m</sup>et apud homines ambiguis interdum nuncupatibus vacillabant<sup>m</sup>, duo fratres cum pleno mandato ad ipsius domini pape mitterentur presentiam, quod eius circa ipsos salubriter ordinaret dispositio recepturi. <sup>n</sup>Cumque fratres ipsi ad sedem apostolicam accessissent, ipsi coram venerabili in Christo patre, domino R[iccardo] Dei gratia sancti Angeli diacono cardinale, quem idem dominus Alexander papa negotio unionis perficiende deputaverat vice sua, ad id sufficientia exhibuerunt mandata, et in generali eorum capitulo, tunc in Urbe celebriter congregato, nomine eorum a quibus fuerant destinati, et de communi capituli eiusdem assensu se et domos easdem in unam ordinis observantiam et vivendi formulam uniformem redigi, unumque ex eis ovile fieri, generalis prioris presidentia gubernandum, unanimiter consenserunt; sicque ipse cardinalis ipsius domini Alexandri pape auctoritate mandati, vivo ad eundem sermone directi necnon et concordi eorumdem fratrum ac predicti capituli consensione suffultus universas domos et congregationes easdem in unam ordinis heremitarum sancti Augustini professionem et regularem observantiam perpetuo cōnivit. Idemque dominus Alexander papa ipsius cardinalis processum approbens illud, auctoritate apostolica confirmavit. Verum <sup>o</sup>religiosi viri ... generalis et alii priores et fratres heremite ipsius ordinis sancti Guilelmi unioni huiusmodi minime se consensisse immo contradixisse, potius asserebant, dicentes, quod predictus dominus Alexander papa quieti eorum paterno volens providere affectu, eis apostolica auctoritate concessit, ut sub regula beati Benedicti, secundum institutionem beati Guilelmi possent in habitu solito libere remanere, non obstantibus aliquibus litteris, gratiis vel privilegiis ab eadem sede in contrarium impetratis, vel in posterum impetrandis. Porro predicti priores et fratres ipsius ordinis <sup>p</sup>sancti Guilelmi<sup>p</sup> asserentes, quod dicti generalis et alii priores et fratres heremite eiusdem sancti Augustini <sup>r</sup>de Porta sancte Marie de <sup>s</sup>Wisembornhe Maguntinensis diocesis, de Corona sancte Marie, de <sup>t</sup>Tuwigenne, Constantiensis diocesis, de <sup>u</sup>Zeminhuse, de Valle Speciosa, Ratisponensis diocesis, de Mindelheim, Augustensis diocesis, Vallis sancti Johannis de <sup>v</sup>Bivonia, de insula sancte Marie Pragensis diocesis, de <sup>w</sup>Lipen, Caminensis diocesis, et quasdam alias domos predicti ordinis sancti Guilelmi cum fratribus domorum ipsarum Alemanie et Ungarie regnorum, occasione huiusmodi unionis, cui, ut dictum est, priores et fratres predicti ordinis sancti Guilelmi se non consensisse, sed potius contradixisse dicebant, in predicto ordine sancti Augustini incorporari fecerant, ac domos ipsas cum fratribus suis incorporaverant eidem ordini sancti Augustini, in eorumdem priorum ac fratrum ordinis sancti Guilelmi preiudicium et gravamen. <sup>x</sup>Ac inter eorum priores et fratres ipsius ordinis sancti Guilelmi ex parte una et predictos priores et fratres ipsius ordinis sancti Augustini ac domorum supradictarum super hoc ex altera<sup>v</sup> materia questionis exorta. Sanctissimus pater dominus Clemens papa III<sup>us</sup> venerabilem in Christo fratrem, Dominum J[acobum] Dei gratia sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem dedit in causa huiusmodi partibus auditorem. Lite igitur in <sup>aa</sup>causa coram eodem domino J[acobo] cardinale legitime contestata, factisque positionibus et responsionibus ad causam, tandem partes volentes litigiorum vitare anfractus, ac viam pacis et concordie amplectentes, videlicet frater Johannes de <sup>b</sup>Linsen, procurator predictorum generalis, priorum et fratrum heremitarum ipsius ordinis sancti Guilelmi pro eis, a quibus habebat ad hoc speciale mandatum, ac frater Guido, prior generalis heremitarum dicti ordinis sancti Augustini pro se ac aliis prioribus et fratribus sui ordinis et dictis domibus et prioribus et fratribus ipsarum de quibus erat contentio, quarum domorum et priorum et fratrum ipsorum procurator erat <sup>bb</sup>in nos, Stephanum, miseratione divina, Prenestinum episcopum, quibus cura predicti ordinis sancti Guilelmi et personarum ipsius // <sup>fol. 96r</sup> est ab eadem sede commissa, de voluntate <sup>cc</sup>et consensu<sup>cc</sup> dicti domini R[iccardi] sancti Angeli diaconi cardinalis, cui curam predicti ordinis heremitarum sancti Augustini, eadem sedes commisit, tanquam in arbitrum arbitratorem et amicabilem



compositorem super causis litibus et questionibus <sup>d</sup>huiusmodi, que erant, vel esse possent super predictis et <sup>dd</sup>ipsorum occasione alte et basse sub pena mille marcarum argenti compromittere, ac nostre ordinationi, definitioni, laudo, arbitrio, arbitrato totaliter se submittere curaverunt, <sup>ee</sup>promittentes, super hoc prestito iuramento et sub pena mille marcarum, predictarum gratum et firmum habituros, se, dictasque ordinis domos et priores ac fratres eorundem ordinum et domorum totum, et quidquid super predictis ordinaremus, statueremus arbitrati essemus, vel etiam decerneremus, prout in publico instrumento inde confecto, per manus Lombardi notarii infrascripti plenius continetur. Nos itaque a partibus accepto huiusmodi compromisso, et a sanctissimo papa, domino nostro Clemente papa IIII<sup>to</sup> obtento, vive vocis oraculo, consensu et licentia ordinandi, statuendi, diffiniendi super iis, prout nobis expeditius videretur, ac etiam arbitraria potestate nobis a partibus ipsis concessa, ordinamus, dicimus, statuimus, providemus et arbitramur, quod predictae domus de Porta sancte Marie de <sup>s</sup>Wisembornhe et de Corona sancte Marie, necnon et si que alie sunt in regionibus diversis, exceptis predictis regnis Alemannie et Ungarie, cum ipsorum fratribus, eorundemque possessionibus et iuribus ad dictum ordinem sancti Guilelmi totaliter redeant, et sub regula sancti Benedicti, secundum institutionem beati Guilelmi remaneant in habitu solito, antequam transirent ad sancti Augustini ordinem supradictum, quas domus cum iuribus et pertinentiis suis eidem priori generali ordinis sancti Guilelmi submittimus, easque ad ordinem sancti Guilelmi supradictum sententialiter laudamus, et decernimus omni tempore pertinere et nullo modo dicto priori generali, aliisque prioribus et fratribus heremitarum ordinis sancti Augustini debere subesse. Eisdem generali aliisque prioribus et fratribus heremitarum sancti Augustini super ipsis perpetuum silentium imponendo. Ita tamen, quod fratres domorum ipsarum, qui ad alia loca heremitarum ordinis sancte Augustini se <sup>ff</sup>forsitan transtulerint, ad domos ipsas, vel ad ipsum ordinem sancti Guilelmi redire non compellantur inviti. Sed illuc redeant et ibidem admittantur, si id de ipsorum fratrum, qui se transtulerint, processerit voluntate, quem reditum eis concedimus intra mensem, postquam hoc eis fuerit <sup>gg</sup>infra mensem<sup>gg</sup> intimatum. Illi etiam fratres, qui medio tempore in predictis domibus sancti Augustini regulam et ordinem sunt professi, si sive in ipsis morentur, sive ad alia loca ipsius ordinis sancti Augustini se transtulerint, inviti non compellantur in ipsis domibus morari, sive ad ipsas domos vel ad ordinem sancti Guilelmi redire. Sed id infra dictum terminum in eorum voluntate consistat. Reliquae domus vero predictae, <sup>hh</sup>que de predicto <sup>ii</sup>ac omnes alie domus<sup>ii</sup> ordine sancti Guilelmi<sup>hh</sup> ad <sup>jj</sup>predictos heremitas (!) ordinis<sup>jj</sup> sancti Augustini, in predictis regnis Alemanie et Ungarie transierunt, cum ipsarum fratribus et iuribus, bonis mobilibus, et immobilibus et pertinentiis universis, permaneant in predicto ordine sancti Augustini pacifice et quieti, et eas decernimus et arbitramur ad eundem ordinem sancti Augustini omni tempore pertinere. Super eis dictis generali, aliisque prioribus et fratribus sancti Guilelmi ordinis perpetuum silentium imponendo. <sup>kk</sup>Ordinamus etiam et dicimus, statuimus, pronuntiamus et laudamus, providemus<sup>kk</sup> et arbitramur de consensu, licentia et potestate predictis, quod memorati generalis, priores et fratres heremitarum sancti Augustini pretextu unionis huiusmodi, vel alia quacunq[ue] causa aliquas domos eorundem heremitarum, ipsius ordinis sancti Guilelmi ad ordinem suum de cetero non recipiant, nec se de ipsis aliquatenus intromittant, nec unquam ipsi ordini sancti Guilelmi vel aliquibus de ipso ordine moveant de unione vel subiectione aliqua questionem. Et si contigerit eos contra facere, vel venire, volumus et arbitramur, quod licet priori generali et aliis prioribus ac fratribus ordinis sancti Guilelmi possessionem ingredi domorum, de quibus erat questio inter partes. Si vero generalis et fratres ordinis Guilelmi contra predicta facerent vel venirent, aut aliquando de predictis domibus dicto ordini sancti Augustini adiudicatis, vel aliquas alias ad ipsum sancti Augustini ordinem pertinentes recepissent, vel imposterum recipere <sup>ll</sup>attemptarent, liceat priori generali et provincialibus heremitarum ordinis sancti Augustini retentis domibus, que per hoc arbitramentum debent eidem ordini sancti Augustini remanere, ingredi in possessionem dictarum earundem domorum, que debent ad ordinem sancti Guilelmi redire // fol. 96v, pena in compromisso contenta nihilominus exolvenda a parte contrarium faciente, et nihilominus hac supra ordinatione et laudo nostro salvo in omnibus permanente. Et quia intendimus omnem questionem a dictis ordinibus remove, volumus et mandamus, sub pena excommunicationis, de licentia nobis concessa, quod deinceps nullus frater predicti ordinis sancti Guilelmi ad dictum ordinem sancti



Augustini aliquatenus admittatur, vel modo aliquo recipiatur, et e converso, quod nullus frater professus dicti ordinis sancti Augustini ad dictum ordinem sancti Guilelmi aliquo modo recipiatur, vel admittatur, et si quid contra attentatum fuerit, receptionem ipsam refutamus, et pronunciamus irritam et inanem, et ad suum ordinem redire compellatur, et decernimus irritum et inane, si secus contigerit attentari. Hiis tamen, que supra de fratribus domorum, de quibus erat inter partes contentio, dicta sunt, in sua manentibus firmitate. In cuius rei testimonium presens instrumentum per infrascriptum Lombardum notarium nostrum huiusmodi ordinationis, laudi et arbitrii nostri pronunciationem presentem scribi et publicari mandamus, ipsumque fecimus nostri sigilli munimine roborari. Latum et pronunciatum est <sup>mm</sup>huiusmodi nostri arbitrii laudum, ordinatum, et quidquid superius continetur, Viterbii in hospitio nostro in presentia dicti fratris Guidonis prioris generalis ordinis sancti Augustini et fratris Guilelmi prioris generalis sancti Guilelmi et dicti fratris Johannis de <sup>nn</sup>Linsen dicti ordinis sancti Guilelmi procuratoris et de ipsorum voluntate et plena concordia ac presentibus venerabili patre Johanne Sipontino archiepiscopo, fratre Symone canonico sancti Johannis de Platea urbe, <sup>oo</sup>Urtano camerario nostro, magistro Andrea priore Sanctorum Apostolorum de <sup>pp</sup>Spoletto, magistro Paulo archidiacono <sup>qq</sup>Cameriensi in ecclesia Strigoniensi, magistro Johanne Romanutio, domini pape scriptore, fratribus Verinegna [Bentivegna] et Gratia de ordine Minorum capellanis nostris et aliis ad hec vocatis et rogatis testibus. In continenti post compromissum in nos factum, videlicet anno nativitatis Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXVI<sup>o</sup> indictione nona, mense Iulio, die ultima eiusdem mensis, pontificatus domini Clementis pape IIII<sup>ti</sup> anni secundo.

Ego Lombardus quondam <sup>rr</sup>Bonvillani de <sup>ss</sup>Podiobonizi imperiali auctoritate notarius publicus prolationi seu pronunciationi <sup>mm</sup>huius laudi, arbitrii, ordinationis, et omnium, que superius continentur, una cum dictis testibus presens interfui, omnia et singula supra contenta de mandato venerabilis patris domini Stephani Prenestiniensis episcopi scripsi, et in publicam formam redegi, publicavi, et signo meo signavi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppletionis, et confirmationis <sup>tt</sup>[infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare presumerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum.]<sup>tt</sup> Datum Viterbii III Kal. Septembris, [pontificatus nostri] anno secundo.

[ ]: FEJÉR | <sup>a-a</sup> Reg. Vat.: *et usque communiri* | <sup>b</sup> FEJÉR: *reciduum* | <sup>c</sup> FEJÉR: *nova* | <sup>d</sup> FEJÉR: *eiusmodi* | <sup>e</sup> FEJÉR: *Sancti* | <sup>f</sup> FEJÉR: *Ibiserbones* | <sup>g</sup> FEJÉR: *causam* | <sup>h</sup> FEJÉR: *Luisene* | <sup>i-i</sup> FEJÉR: *-* | <sup>j</sup> FEJÉR: *extiterat* | <sup>k-k</sup> Reg. Vat.: *et usque communimus* | <sup>l</sup> FEJÉR: *Bictrinis* | <sup>m</sup> FEJÉR: *-* | <sup>n</sup> FEJÉR: *Cum* | <sup>o</sup> FEJÉR: *generosi* | <sup>p</sup> FEJÉR: *-* | <sup>r</sup> FEJÉR, add.: *domos* | <sup>s</sup> FEJÉR: *Ibiseborne* | <sup>t</sup> FEJÉR: *Fuuisene* | <sup>u</sup> FEJÉR: *Semnhuse* | <sup>v</sup> FEJÉR: *Binonia* | <sup>w</sup> FEJÉR: *Lixtin, Caniniensis* | <sup>x</sup> FEJÉR: *et* | <sup>y</sup> FEJÉR, add.: *parte* | <sup>aa</sup> FEJÉR: *ea* | <sup>bb</sup> FEJÉR: *ante* | <sup>cc</sup> FEJÉR: *-* | <sup>dd</sup> FEJÉR: *eorum* | <sup>ee</sup> FEJÉR: *promittendo* | <sup>ff</sup> FEJÉR: *forte* | <sup>gg-gg</sup> add. in margine | <sup>hh-hh</sup> FEJÉR: *et omnes aliae domus, quae de praedicto Ordine Sancti Guilelmi* | <sup>ii-ii</sup> add. in margine | <sup>jj</sup> FEJÉR: *predictorum Eremitarum Ordinem* | <sup>kk-kk</sup> FEJÉR: *Ordinamus etiam et dicimus et laudamus,* | <sup>ll</sup> FEJÉR: *attendant* | <sup>mm</sup> FEJÉR: *huiusmodi* | <sup>nn</sup> FEJÉR: *Luisen* | <sup>oo</sup> FEJÉR: *Vetauensi* | <sup>pp</sup> FEJÉR: *Espoletto* | <sup>qq</sup> FEJÉR: *Cameracensi (Camarensi)* | <sup>rr</sup> FEJÉR: *Vomuillani* | <sup>ss</sup> FEJÉR: *praedio Bosnensi* | <sup>tt-tt</sup> add. Fejér, Reg. Vat: etc.

#### Források, irodalom

- Reg. Vat. 32. fol. 95<sup>r</sup>-96<sup>v</sup>, 122. sz.
- POTTHAST = *Regesta pontificum romanorum inde ab anno post Christum natum MCXCVIII ad annum MCCCIV*. I-II. Ed. POTTHAST, August. Graz, 1957. 19807. sz.
- RCIV = *Les Registres de Clément IV, 1265-1268. Recueil des bulles de ce Pape*. Ed. JOURDAIN, Édouard. Paris, 1945. 365. sz.
- FEJÉR = *Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis*. I-XI. Ed. FEJÉR, Georgius. Budae 1828-1844. IV/3. 347-358.
- Kiss 2015 = Kiss, Gergely: *Dél-Magyarországtól – Itáliáig: Bánca nembeli István (1205 k. – 1270) váci püspök, esztergomi érsek, az első magyarországi bíboros életpályája*. Pécs: Kronosz Kiadó, 2015.